

CAPUT. II.

DE RATIONE TRACTANDI
PER APOLOGOS, UBI OB COMMENTANDI
AFFINITATEM ET FABULÆ ROMANEN-
SES, ET FICTÆ RESPUBLICÆ
SIMUL EXAMINANTUR.

§. I.

Quemadmodum agri ad accipienda foven-
daque semina varie exercentur, subigun-
tur & molliuntur; ita rudes & teneræ
mentes multiplici doctrina excitandæ &
excolendæ sunt, ut virtutem intelligere
incipiant, ejusque amore accendantur & inflam-
mentur. Quos inter tradendi modos & *Poëticus*
est, siquidem in Græcia sapientiæ studiosi ποιηταί, ἀπὸ
τῆς ποιήσεως dicti sunt; quod verbum inter cætera ge-
neraliter & fingere significat, id est opus arte exi-
mia elaboratum efficere, sive id manu fiat, sive in-
genio. Poëtæ enim non tantum historias suorum
temporum, sed etiam doctrinam de natura rerum
& moribus, totamque philosophiam narrationibus
ingeniose confictis, & eleganti atque ad delectan-
dum persuadendumque composito orationis gene-
re, quod carmen appellatur, comprehensam po-
steris reliquerunt. Suntque illi adeo, ut Plato in
Lyside loquitur, πατέρες τῆς σοφίας καὶ ἡγεμόνες, patres
& duces sapientiæ, inter quos Virgilius non postre-
mus est, qui iudice Boeclero in *Prefat. Comment.*

*Poëtæ cur
sic dicti?*

*Sunt pa-
tres & du-
ces sapien-
tiæ.*